rursus perirent, sua imagine prætermissa nummos signabat, affectui majestatem posthabens. Unde quæ nunc passim habentur numismata, Cimonis, Miltiadis, Platonis, Aristotelis, aliorumque veterum heroum aut sapientum imaginibus percussa, Hadriano accepta referri debere, constans apud eruditos opinio invaluit. Sed vetera mittamus: superiore ac nostro seculo sepulta refodere inter potissimas eruditorum curas fuit. Nec circa veteres tantùm, in quos præ cæteris incubuere, qui nunc vulgò Critici vocantur, laboratum est, sed & medii ævi scriptoribus cura impensa est, ex quibus Theologos magnam partem in Bibliothecam Patrum conjecit Margarinus de la Bigne, multis supplementis auctus augendusque ex editis à Canisio, Gretsero, Sirmondo, Petavio, Combefisio, Allatio, Chifletio, Possino, Holstenio, Marca, Labbeo, (tum alibi tum in Byzantinis) Cossartio, Dacherio, Surio, Rosweido, Bollando, Henschenio, Papenbrockio, compilatoribus Bibliothecæ Patrum Asceticæ, Benedictinorum cura editæ, aliisque multis. De Jureconsultis medii ævi optimè meritus est, quisquis est, cujus cura tot eorum monumenta in Oceano juris, inque natis ex eo tractatuum voluminibus, vel ut postea appellata sunt, Tractatu Tractatuum, junctim edita visuntur, quæ alioqui fortasse tenues in auras dudum abiissent. Dolendum est profectò qui tot aliis de luce nominis prospexit, seipsum tacuisse; cum tamen grandi illo in tot volumina confecto indice nihil cogitari possit laboriosius, nihil desiderari accuratius. Idem de collectis Repetentium voluminibus dicendum est. Speramus verò, cura viri eruditissimi Erici Mauritii quamprimum edendam digestionem juris feudalis Antonii de Prato veteri, opus illustre imperatorio jussu, delegatione universitatis studii Bononiensis confectum, sed quod nescio quomodo hactenus ex manibus hominum evanuit ac Goldasto & Rigaltio diu ac frustra quæsitum, alium non indignum editorem invenit. In colligendis medii ævi historiis Schardii, Pistorii, Reuberi, Urstisii, Meibomii, Reineccii, Lindebrogiorum, Goldasti,

Frehe-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [10] - -